

1479

a Venetis Franciscus Michael , qui in castris legati nomine bello interesset . Fuerat etiam aliquanto antea Florentiam missus Bernardus Bembus , qui toto ferme bienio , quo in Hetruria bellatum est , laborantibus sociis publico decreto rerum omnium sollicitus affuit . Hostis interim florentissimis usus copiis , Rencium , Castellinam , Radam , Brojam , Cacchianum , & in Himbriana valle Sabinum montem Florentinis ademit . Tum , quia jam bruma instabat , in Senensem agrum hostis in hyberna concessit . Veneti autem , quia apparebat hostes sub vernum tempus ad Florentinorum opes evertendas aliquanto obnixius surrecturos , compertum præterea habebant , Christianorum Principum literis Othomani in se arma vel magnis pollicitationibus irritari , suo socrorumque periculo moti , sub exitum hyemis , ut diximus , se gravissimo bello exonerarunt . Verno ejus anni tempore Veneti Carolum Montonium , Brachii filium , cum validissimo equitatu in Hetruriam misere . Sed ille sub primum pene accessum , quum ægrotare cœpisset , non multo post Cortonæ vita decessit . Res igitur ea parte provinciæ Ruberti Malatestæ auspiciis post illius mortem gesta est . Habuit is in armis turmas equitum quinque & triginta : quibus fretus secus Trasimenum dicens , in Perusinos fines tumultuose erupit : hic ignobilibus quibusdam locis oppressis , Perusini ( qui ad Caroli adventum ob veterem factiōnem omnino res novas molituri credebantur ) ejus morte audita , etsi per Bernardinum Comitem , illius filium , aliquid postea tentatum est , nihil tamen quod Pontifici formidabile esset , movere sunt ausi . Et jam media ætas erat , quum Rubertus ad montem Sperellum , Perusini agri viculum , adversus Matthæum Campanum , atque urbis Romæ præfectum , Syxi Pontificis nepotem , pene pari equitatu conflixit . Pugnatum utrinque acriter duabus ferme horis ; sed primis hostium turmis , quæ extra munitiones confluxerant , profligatis , continuo reliquæ copiæ suorum clade consternatae , in fugam dilapsæ , ingentem illi victoriam reliquere . Impedimenta omnia , magna que

Eee

equi-